Dissertatio Inauguralis
De
ATHERAPEUSIA MORBORUM,
Quam
Gratiosissimæ Facultatis Medicæ
Consensu & Autoritate
IN ILLUSTRI VIADRINA
PRÆSIDE
DN. BERNHARDO ALBINO,
PHIL. & MED. DOCT. SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO & ARCHIATRO, MEDICINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, Ejusdemq; h.t. DECANO GRAVISSIMO,
PARTRONO, PRÆCEPTORE & PROMOTORE SUO ÆTATEM COLENDO,
Pro impetrandis
Honoribus Privilegiisq; Doctoralibus,
Ad Diem XXV. Maji Anno MDCXCIV.
PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT
Horis Ante- & Pomeridianis
JOHANNES ERNESTUS Steinhart
Colbergâ Pomeranus.

Francof. ad Viadrum, Typis JOHANNIS COEPSELII, Acad. Typogr.

Viro Magnifico, Experientisſimo atq; Excellentisſimo

DN. BERNHARDO ALBINO,

Philoſoph. & Medic. Doctori,

Serenisſimi atq; potentisſimi

Electoris Brandenburgici Conſiliario & Archiatro ejusdemq; in Illuſtri Viadrina Profeſſori Publico Ordinario Celeberrimo, Facultatis Medicæ p. t. Decano,

Præſidi hujus Diſputationis graviſſimo,

Patrono, Præceptori ac Promotori Suo ad Urnam usqve venerando,

DISSERTATIONEM Hanc INAUGURALEM

Sacram facit

Johan. Erneſt. Steinhart /
Colbergâ Pomer.

VIR

Magnifice, Experientissime atq; Excellentissime

PRÆCEPTOR ac PATRONE

Æternum venerande.

NUlla felicius terminatur,
Qvam, qvæ redit in circulum, periodus.
Nemo proinde DISSERTATIONI meæ INAUGURALI vitio ducet;
idem illam,
qvod decurrere cepit, recurrere stadium;
idemqve, unde digressa est, punctum repetere.
Tibi igitur Uni,
PRÆCEPTOR ac PATRONE, omni obseqvio venerande,
Theses has Inaugurales sacras facio,
felici satis augurio,
eas tibi non displicituras:
cum radii sint,
qvi in Te, veluti Solem, reflectuntur.
Sed, me hoc ipso felicem
invida fortuna reddit infelicem;
Dum eruditionem tuam,
qvæ tam late innotuit orbi,
adorare;
ac insignes animi tui dotes mirari,
mihi non permittit amplius:
nec qvidqvam relinqvit,
qvam id unum,
qvod dissitis etiam in locis
celebre tuum nomen
animo venerari possim:
ac perpetuo reminisci.

Te

Te ſtudiis meis facem prætuliſſe:
pariterqve ad præfixam metam illa deduxiſſe,
Tu me ſereniori Soli reddidiſti;
cum præjudiciorum denſas caligines diſcuteres,
animumqve ab ergaſtulis
conceptæ à teneris ſententiæ
felici conamine liberares;
longe plura ſunt,
Qvæ indies à Te proficiſcuntur beneficia;
qvibus non meum ſaltem,
ſed aliorum qvoqve mereris amorem;
qvibus tamen, uti decet, recenſendis,
cum imparem me reperiam,
præſtat illa pio premere ſilentio.
Qvo autem propenſo tuo in me animo reſpondeam,
nihil, niſi chartaceum hocce munus reperio;
qvod Tibi in præſenti conſecro:
non, ut inſigni tuo affectui ex merito reſpondeam;
illud enim fortuna tua non exigit;
neqve mea patitur.
Sed, ut grati animi colligatur inde teſſera;
Tuqve offerentem,
qvem hactenus favore tuo dignatus es,
favore perpetuo proſeqvaris;
Dum interea Famæ tuæ incrementum,
Ampliſſimæqve Familiæ incolumitatem,
perpetuam felicitatem;
Nominiqve tuo vovet Immortalitatem.

Celeberrimi Tui Nominis

Cultor obſervantiſſimus
JOHANN. ERNEST. Steinhart.

I. N. J.

PROOEMIUM.

Comitialem morbum olim ἱερὴν νόσον & θεῖον πάθος *à Magis, ut divinitatis obtentu ac prætextu suam inscitiam tegerent, dictum, reliquis verò nihil diviniùs aut sacratiùs habere, sed ejus naturam & causam ut aliorum omnium divina existimanda esse apud Divum Senem in sua* περὶ ἱερῆς νόσου *libro cum legerem & paulò attentiùs considerarem, omninò omnibus morbis aliqvid sacri subesse deprehendi. Juxta elegantiores enim Græcos cum magna res omnis* ἱερὰ *dicatur, qvis inficias iret in morbis curandis, tum ratione morbi ipsius, tum ratione medicamenti, tum Medici aliqvid sacri, admirabilis & magni latere. Multos morbos invictos & indomitos esse nemo est, qvi illorum causas unqvam rimatus, vel ad clinicorum grabbatos stetit, qvi neget. Medicamentis aliqvid sacri, incogniti qvodq; empiriam redoleat non modo plurimi modernorum, sed etiam omnis antiqvitas, antidotos suas* κατ᾽ ἐξοχὴν ἱερὰ *nominando, fatentur. Medicos in morborum causis detegendis aptisq; remediis elegendis sæpe cespitare & in tenebris palpando pergere ingenuus qvi est non diffitebitur, in alterutro enim si aber-*

aberraverit talum à sacra linea movet. Dignum mihi videbatur hoc argumentum, ut Thematis Inauguralis loco elaborarem, sed sacrum adeoq; viribus meis majus est nec pagellarum aliqvot angustiis includi potest. Periclitabor tamen vires meas, non ut sacra illa ænigmata evolvam, sed saltem ut magnitudinem illorum solo respectu habito ad morbos morborumq; causas & hinc consectaneam ἀθεραπευσίαν ostendam, de Medicis enim & medicamentis si idem facere instituerem, licet ipsam anchoram sacram solverem impar forem, aliis igitur qvibus plus otii atqve ingenii id pensum relinqvo; Tuum modo, Benevole Lector, dum hanc morborum ἀθεραπευσίαν Tibi sacram facio, favorem mihi exoro.

§. I.

QVi æternâ lege ê corde egressus per arteriarum mæandros ad minima corporis diverticula pergit, & ex venarum alveis refluus ejusdem thalamis reaffunditur sangvis pulsu distentis poris partium latifundiis nutricios humores infundit, nervoso generi spiritus concedit, omnesqve corporis poros humidis irrorat effluviis, ut vegetetur, ejusqve indigentiæ succurratur. Qvo officio defuncti in lympham confluunt eidem cruori per vasa lymphatica reaffundendam vel per varia corporis emunctoria exterminandã. Repetito incendio ignescunt, recentiqve chylo ex intestinis per venas lacteas affluo fœti ad relictas coguntur stationes, itu redituqve suo omne vasorum genus fatigant, dum interea variam experiuntur sortem teloniumqve visceribus, qvæ transeunt, solvunt, labore redeundi in orbem, nisi cum vita, defunguntur nunqvã. Consistit in hoc stadio sangvis & circum sibi describit donec corporea machina illæsa ipseq; labis expers est. Statim verò atqve in tubulorum angustiam

ada-

adactum craſſamentum vel frigus illos obturat, deſuper incumbens moles comprimit, iidem propter evacuationes nimias ſemi ſubſidunt, continuata compages vaſe rupto vel fibra in cincinnos reſiliente ſolvitur, vel lentor occupat fluidum, catarrhactis occluſis ſtant retrocedere neſcii humores, in partes adiguntur altiùs denſataq; mole vim intentant vitæ viresq; acqvirunt non eundo ſed qvieſcendo.

§. II.

Feneſtratæ arteriarum tunicæ ſingulis ictibus è corde prorufum ſangvinē eodem tempore qvo recipiunt denuò diſtribuere non valentes dehiſcunt ſimulq; per minima corporis vaſa in nullam non ejus partem humores deponunt, qvod ſi igitur aucto ſangvinis impetu tenella vim ferre non poſſint vaſa media crepant ſuoqve partem ſangvis inundat diluvio, in cerebro *Apoplexiam ſangvineam*, in pulmonibus, *hæmoptyſin*, in ventriculo, *vomitum ſangvinis*, in inteſtinis, *dyſenteriam*, in renibus, *mictum cruentum* naribus, utero *hæmorrhagiam* facit. Cum nulla arte ſangvis cerebro affuſus educi poſſit, *Apoplexiam hanc nullo prorſus modo curaveris Hipp. ſect. 2. aph. 42.* ruptum in pulmonibus vas, cum reciproco motu perpetuo fatigentur, majuſculum ſi fuerit, vix vel non conſolidabitur, Galenus, *Sangvinis è pulmone rejectio, qvæ intra tres dies non curatur, ſuperveniente phlegmone, incurabilis redditur. 5. meth. med. c. 13. & 14.* Effuſio puri ſangvinis dyſenteriæ adveniens mala *D. Sennert. libr. 3. part. 2. Sect. 2. cap. 7.* imo licet ipſis Lienoſis ſuperveniens dyſenteria, bonū *Hipp. aph. 48. ſect. 6. Qvi tamen lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis ſupervenientem longam dyſenteriam aqva intercutem, aut inteſtinorum levitas excipit & moriuntur, aph. 48. ſect. 6.* diurnitas videlicet ſangvinei profluvii arguit vel vaſis rupti amplitudinem, vel locum remotum ad qvem nec ore ſumpta nec inferiori gutturi infuſa pertingant. Mictus

cruentus in febre acuta, vel variolis plerumqve lethalis, nocendoqve, etiam sine febre, nihil cedit reliqvis hæmorrhagiis qvalibuscunqve, cachexiam, hydropen, tabem aliaq; minatur. Nec singulares modo hæmorrhagiæ mortem intentant, sed qvo ex pluribus corporis emunctoriis prorumpit sangvis augetur metus, qvale qvid â Dn. Præside in anni unius infante animadversum, qvi cum ubera matris dum præ ira æstuaret, sugeret, ex oculis, auribus, naribus, ore, ano atqve pudendis lethale passus est sangvinis profluvium matrisqve furentem affectum morte expiavit. Omnibus hæmorrhagiarum causis recensendis supersedeo, dummodo enim ex vasis ruptis exstillet sangvis sufficit, vulneris magnitudo, locus aliaqve immedicabile faciunt malū. Cordis auricularum & ventriculorum, aortæ, plexus choroidei, arteriarum carotidum, cervicalium, venæ cavæ, azygos, falcatorum cerebri processuum, aliorumqve majorum truncorum medicas nesciunt manus, nec minora vasa sæpe minorem mortis incutiunt metum, cum in penitioribus corporis latent recessibus, nec ad illa accessus liber est.

§. III.

Cum sufficit vasorum robur nec sangvinis pelagus exundat, clathratas tamen eorum tunicas pressa ejusdem elabuntur corpuscula, qvæ qvoad teneritudini tubulorum congruunt hac atqve illac diffluunt, simul verò ac viscida illorum tenacitas vel segnis terrestreitas plus ultra non concedit, stat immobilis moles & in molem attollitur, & ratione partium, in qvibus fit, tum magnitudine & profunditate variorum morborum vultum gerit. Tum cerebri ventriculis suffusa nervorumqve principiis impacta spiritibus animalibus intercipit viam, sensum motumqve abolet, *apoplexiam*: dum noxia hæc blenna in geminos medullæ

dullæ ſpinalis truncos, *paraplegiam*, in alterutrum, *hemiplegiam*, in aliorum membrorum nervos *paralyſes particulares*, abolitis earum partium functionibus, cauſatur. Non ita in acervum cumulata ſentina ſi non omnes ſed ſparſim plurimos tamen obturet tubulos ſpirituum affluxus pro modulo nervos plus minus tendit, ut, licet non â qvovis â fortiori tamen objecto moti, mentem ejus admoneant, tum profunde dormit æger, ſed excitatus oculos aperit, reſpondet, moxqve rurſum profunde indormiſcit, vel oculos vix aperit, nec reſpondet, licet concuſſus ſentiat & integre reſpiret, utroqve in caſu vel cum vel ſine febre, qvorum affectuum hic *lethargus*, ille *carus*, iſte *coma* eſt, omnes ſoporoſorum affectuum nomine infames. Tenerrimis cerebri tubulis incuneatas ſordes lentas qvis ejiciet? Obſtant tenellulorum tubulorum anfractus, qvo longius perrexerint pertinacius hærebunt, nec alia datur via niſi inſenſibiliter diſcutiantur, longe remotus locus eſt, nec niſi poſt iteratos circuitus fractis viribus huc appellit pars medicamentorum, inde ſunt difficillimæ prognoſes. *Solvere apoplexiam vehementem impoſſibile qvidem, levem verò non facile Sect. 2. aph. 42. Qvi valentes capitis repente doloribus corripiuntur & ſtatim muti fiunt & ſtertunt intra ſeptem dies intereunt, niſi febris eos prehenderit Sect. 6. aph. 51. Apoplectica affectiones derepente exolutorio modo fientes pernitioſæ, in coac. præn. Solent autem qvi per omnia membra vehementer reſoluti ſunt celeriter rapi ac ſi correcti non ſunt. Diutius qvidem vivunt ſed raro tamen ad ſanitatem perveniunt: & plerumq; miſerum ſpiritum trahunt, memoriâ qvoqve amiſsâ. In partibus verò nunqvam acutus: ſæpe longus: fere ſanabilis morbus eſt. Si omnia membra vehementer reſoluta ſint: Sangvinis detractio vel occidit vel liberat. Aliud curationis genus vix unqvam ſanitatem reſtituit: ſæpe mortem tantum differt, vitam interim infe-*

ſtat. C. Celſus lib. 3. cap. 27. Lethargo affecti in ſeptem diebus intereunt Hipp. *lib. 2. de Morb.*

§. IV.

Pari licet truculentia non ubiqve ſæviat â ſtatu ſuo naturali degener ſubtiliſſimus latex, ſed etiam aliis functionibus animalibus non ita neceſſariis incumbat cerebri partibus, tam pertinax tamen illius qvies eſt ut nullo cedat rhizotomo. Hæreat in cerebri meningibus aliiſve ejus locis mole ſua gravat diſtenditqve fibras vel ſalia acida & ſalſa ſiſtit atqve in fibras doloris gravativi, pungentis vel ſcindentis ſenſu adigit, tam obſtinate radicatis qvandoqve obſtructionibus ut habitualis fiat, qvem *Cephalæam* dicunt Medici. Cum inter Danos atqve Svecos ultimo arderet bellum, Illuſtris qvidam Legionum dux inter oppugnandum ê muro præceps datus in caput illidit ea vehementia concuſſo cerebro poriſqve diſturbatis ut ab eo tempore perpetuo capite doluerit, fatigatis celeberrimis Medicis tandem ipſe fatigatus immedicabile malum agnoſcit & dolet. Invadat nervos auditorios, *ſurditatem*; opticos, *guttam ſerenam*, glandulam pinealem *Catalepſin* dabit non niſi fortuito ſanabiles morbos aut penitus immedicabiles niſi fuerint leviores.

§. V.

Non omnia corporis membra tam ſpirituoſæ indolis fluido arteriæ irrigant, ſubtiliſſimus ille vapor eſt ſubterfugiens ſenſus, ſpirituum promeritus nomen, is qvi carnoſis affunditur coit in liqvorem ſucci nutricii nomine perqvam notus, fibris enim appoſitus illas nutrit, qvodqve reliqvum eſt inſenſibiliter tranſpirat vel per lymphæ ductus refluum reaffunditur ſangvini. Segnior illius motus â ſpiritibus affluentibus vigoratur ut promptius pergat nec hæreat alicubi, ſed ſunt mille circumſtantiæ qvæ

mo-

motum ejus intercipiunt, in membris paralyticis impellendis humoribus perpauci non sufficiunt spiritus, inde obstructionum copia nutrimenti inopiam facit cum partis *atrophia* qvam nisi cum ipsâ paralysi tolles. Miror qvi in illa tubulorum tortuosa angustia & multiplici particularum varietate magis obviæ non sint obstructiones, accedentibus tot rerum non naturalium injuriis & erroribus, qvos qvidem omnes non excutiam, id tamen certum est esse satis freqventes. Qvandoqve â pallida pituita per universum corporis habitum dispersæ lentos & viscidos sistunt humores, qvæ *Leucophlegmatia* est vel *anasarca*, hydropis pedissеqva vel prodromus, dum obstructis lymphaticis vasis â pone affluentibus humoribus urgentur tunicæ eorum aranearum telis æqviparendæ rumpuntur, serum in cavitates corporis destillat & varias hydropis constituit species, in capite, nempe *hydrocephalum*, in abdomine *ascitem* &c. & si tantus adhuc corpori insit calor, ut depluam in vaporem attollat aqvam tensum abdomen tympani instar resonabit & *tympanitis* erit. Pituitæ lentor & viscositas difficillime corriguntur, exqvisitissimis etiam medicamentis sæpe non cedunt, sed obtinet illud Galeni: *Etiam hepate malè affecto hominem mori contingit, sed ferè longiori temporis spatio, atrophia scilicet. 5. de Loc. Aff. cap. 1.* Tandemqve *albæ pituitæ aqva intercus supervenit Sect. 7. aph. 74.* Cum simplex nulliqve morbo conjuncta fuerit anasarca minus qvidem periculosa reliqvis hydropis speciebus observatur prava tamen est, *aqva inter cutem qvæ ex acuto morbo cœpit molestiam ac perniciem affert. Coac. prænot. text. 452.* in Senibus ægre sanatur. *Omnes hydropum species pravæ sunt, & inter ipsos leucophlegmatia mitior habetur, qvod sudore, urina vel alvo solvi possit, difficilius tympanias, adhuc tympania difficilior anasarca, oportet enim medicum in hoc morbo totum*

ho-

hominem permutare, qvod neqve Diis ipsis facile fuerit inqvit Aretæus. Ευσπλαγχνία *viſcerum, qvam Hipp. prædict. lib. 1. ſect. 2.* ut hydropici ſerventur reqvirit, talis eſt, ut merito dubitem an unqvam in ullo reperiatur. Optime dixit Aretæus totum hominem immutari debere, ſangvinis intemperies, viſcerum coctionibus deſtinatorum corruptio, amurca anguſtiis impacta, vaſorum ruptura, extravaſatum ſerum, virium imbecillitas ſuperari neſcia mala ſunt, & ſi qvandoqve ſuperentur, recrudeſcunt, & tum *hydrops, qvi levatus remediis integre renaſcitur, deſperatus eſt. coac. prænot. ſect. 2. aph. 460.*

§. VI.

Dum glandulas vel viſcera occupat fœda labes diſcuſſo à perenni corporis calore ſucceſſivè humido denſatur ſaxeæqve fit duritiei & *Scirrhus* eſt, qvi in glandulis colli *ſcrophulæ* vel *ſtrumæ* appellantur. Qvieſcat circa articulorum tendines, in illa pororum conſtantia perpetuo hoſpitabitur & varia retinebit ſalia, qvorum infeſta ſpicula in membranas adacta dolores *podagræ, gonagræ, chiragræ, iſchiadis, arthritidis* nomine notos creant. Terram in indolentem coactam tumorem ſi diſpellere coneris laterem lavas, calidiuſcula enim qvæ illam in motus agant abacto, qvod reſtat humido, duriorem reddunt, & dum emollientia nonnullas ejus laxant vias affluentibus humorib⁹ fores pandunt, qvi cum ſemel recepti atq; intercepti à calore corporis naturali vel emollientium medicamentorum in auras abiguntur relicto ad motũ inepto craſſamento, qvi auxilium importare debebant tumori augmento ſunt. Hinc fluit decantata illa prognoſis Scirrhos exqviſitos nullam admittere curationem, remediis potiùs efferari & in cancrum tranſmutari. Nec ferro ſemper & ubiqve licet uti, vel enim in ipſa corporis ſuperficie eas occupat partes ut amputatio impoſſibilis

ſibilis ſit, hepatis verò, lienis, uteri, pulmonum &c. ſcirrhi tardè licet certò tamen interficiunt vitamqve morte graviorem faciunt. In medio ſaxei tumuli ſepulta ſalia cum fuerint mora majorem acrimoniam acqvirunt & corroſiva fiunt abitqve ſcirrhus in *cancrum*, cujus curam aggredi, qvod incurabilia ulcera ſint ex atra bile facta, vetat Galenus *cap. 5. lib. de Atra bile. Qvibus occulti cancri fiunt, non curare melius. curati enim citius intereunt, non curati vero longius vitam trahunt* Hipp. *Sect. 6. aph. 38.* Tam funeſtum licet id qvod circa articulos fit obſtructionis genus non ſit, adeo tamen perficax eſt cum in tophos concrevit, ut tollere nodoſam neſciat medicina podagram: appoſite Hippocrates *2. prorrhet. De Podagra hoc dico: qvicunqve aut Senes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos habent, aut ærumnosè vivunt, ſiccam alvum habentes, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte qvantum ego novi.*

§. VII.

Nec majores ſolum verum etiam exiliſſimæ corporis glandulæ obſtructionum feraces ſunt, non ut indurentur omnes, ſed ut ab affluentibus humoribus vim paſſæ inſolitum & majori copia poris exiguisqve ductibus in figura mutatis vel ampliatis liqvorem ſtillent. Blenna ejusmodi inſveta ventriculo inſtillata illi vel ſola mole gravis eſt, unde *nauſea & faſtidium*, vel gaſtricum ejus involvit liqvorem, unde *anorexia*, vel aliis ſalibus inqvinata, unde varia cruditatum genera, vel elapſuris vaporibus poros intercludit, unde *cardialgia, ructusq;*, illaq; omnia ſi tandem augeantur, ventriculus ſubvertitur & *vomit*, aut ſi retineat, minus bene digerit & concoqvit, ſed vel indigeſta penitus vel ſemiconcocta ad inteſtina mittit & *lienteria* vel *cœliaca* fit *paſſio*. Qvibus malis dum corporis culina affligitur male imo peſſime proſpicitur reliqvæ æconomiæ

de hoc vitio participant omnes. A laudabili chylo vigor partibus venit, & humorum bonitas dependet, qvi cum legitimus non eſt, pravi fiunt ſucci ſangviſqve minus laudabilis pejores pluresve ventriculo reddit humores, ut qvi modo effectus jam cauſa ſit illorum malorum, adeo ut unde ordiaris neſcias, priusqvam enim primæ coctionis vitia correxeris, ecce ſangvis depravatus eſt qvi ventriculum de novo corrumpit. Tandemqve poris exiguiſqve ductibus figuram licet peregrinam conſtanter ſingularem imprimit, ut ſangvine licet correcto, non niſi tales effundant humores, ut tuus redeat in orbem labor ægerq; ſuccumbat. Hinc anorexia malum contemnendum non eſt, ſed qvandoqve adeo pertinax ut nullis obediat medicamentis, ſed langveſcant viſcera, ſangvis fiat cachecticus tandemqve tabes, hydrops, lienteria ſeqvantur. Vomitus etiam ſunt pertinaciſſimi, ut, licet omnes & ê ſangvine & ventriculo cauſæ remotæ ſint, perſeverent tamen, qvia nervi propter vomitus diuturnitatem & freqventiam tantam ad ventriculum convellendum tranſmittendi ſpiritus facilitatem nacti ſunt, ut minima occaſione irritati imo propter plicæ, qvam habent, familiaritatem ſine ulla cauſa ab ipſo ſpirituum ſaltem placido appulſu aperiantur ſicqve ab affluentibus ſpiritibus convellatur ventriculus, qvod vitium medicamentorum vi majus eſt. Vomitionum diuturnarum exempla ſi deſideres qvæ fidem ſuperent, illa apud Schenckium, Fabricium Hildanum, Bartholinum, Riverium reperies. *In cœliaca res fere deſperata eſt ſi morbus diutius duret, lienteria autem periculoſius malum eſt qvam cœliaca, & ſi cum difficultate ſpirandi & laterum punctura jungatur abit in tabem* Hipp. *in coac.*

§. VIII.

Mediæ cavitatis incola pulmo finibus licet, â ventriculo

culo ſejunctus paria tamen patitur fata, dum, qvem glandularum ſemi-obſtructi atqve intorti pori plorant, humor bronchiis infarctus interiorem tracheæ bronchiorum membranam gravat & ſeqvitur *tuſſis*, vel aëri pulmones ſubituro intercludit viam pro magnitudine cauſæ *diſpnœam*, *orthopnœam*, *aſthma* facit vel *catharrum ſuffocativum*. Hac affectione juvenes difficulter liberari, ſenes verò nunqvam, ſed eos usqve ad mortem comitari, notiſſimum, unde proverbium: hydrops & aſthma mirabile phantaſma qvod nullum ſanat cataplaſma. Alluit videlicet reciproco motu puls⁹ aër, non niſi poſt longos viarum anfract⁹ milleſima forte pars medicamenti magna virium parte amiſſa, aut ſi epiglottidem præter labatur non omnem tamen bronchiorum labyrinthum, qvod qvidem debebat emetitur, ad eos accedit, aërqve in altum attollendæ ſaburræ non par eſt, inde ab aëris contactu multum & ſemper, â medicamentorum affluxu parum alterantur, dum interea temporis hoc augiæ ſtabulum repurgatur nunqvam, unde morbi diuturnitas.

§. IX.

Et hæc ita ſe habent cum ſalibus non multum ſangvis diſtemperatur, at vero prout ſalium indoles varia eſt dum variis aciditatis, auſteritatis, corroſionis gradibus diſtinguntur, & maximè varia copiâ ſangvini admiſcentur, dum per errores diætæ introſumuntur vel extrinſecus corpori accedunt, non paucioribus ſe exhibent larvis, ſociata qvippe diverſimode diſtemperato ſangvini dum in obſtructis ſubſiſtunt poris *malum hypochondriacum*, *Scorbutum*, *Luem veneream Elephanthiaſin* & analogos cauſantur morbos, qvi qvam atrociter in corpus ſæpe ſæpius ſæviant triſtis loqvitur experientia. Medicorum flagellum dicitur melancholia hypochondriaca, qvæ licet lethalis non ſit, ob-

ſtinatiſſima tamen eſt nec remediis vix unqvam perfecta cedit, curatos etiam tenet major periculorum majorum metus, ſemper habent qvod qverantur, levisqve animi mœror illos in idem piſtrinum præcipites dat, tranſit totus in habitum ut caput obſtinate doleat, vel vertigo illud occupet, epilepſia convellat vel mentem moveat ut furant. Ab humore melancholico Scorbutus, qvi radices egit, ortum habet, hinc æqve pertinax ac diuturnus eſt, ut cum viſceribus impreſſit labem, nunqvam plane exſtirpari poſſit, abit plerumqve in hydropem, non nunqvam etiam dyſenteriam, ſæpe tabem tandemqve hominem lenta morte jugulat. Lues venerea cum recens eſt obedit medicaminibus, at ſi oſſa jam carie ſint corrupta & in veterata fuerit, & carnem corroſerint ſalia & ulcera fœda effecerint & virulenta vix curaveris, virulentiam omnem certe nunqvam exturbabis, ſi enim eo denuo corripiantur & gravius laborant & difficilius curantur. Elephantiaſis morbus eſt ipſa morte calamitoſior, per partes moritur homo ut tormentis diutius ſufficiat, ſibi ipſis ſunt longa corruptione graves, aliis abominatione intolerabiles. Morbus ipſe qvolibet remedio major eſt. Affectuum gravitas eluceſcet ſi cogitaverimus illos in ſangvine craſſo & terreſtri à qvo in minimis corporis vaſis factæ ſunt obſtructiones & qvi ſecum ſylveſtria vehat ſalia, radicari. Chylus, qvi illum emendare debet, in primis ſtatim viis ſimili humore inqvinatur, ut cum ſangvini admiſcetur illum correcturus una depravatum affundat ſuccum, atqve ipſe per minima ſangvini admiſtus adeo â ſe ipſo alius fit ut prioris dulcedinis retineat nihil. Correctionem ejus medicamentis ſi tentemus & crebro & copioſe aſſumptis proficimus qvidem aliqvid rem conficimus nunqvam, cum ubiqve ejusdem naturæ ſint ſangvis & humores

res nec modo vaſis & tubulis ſed etiam minimis corporis poris ſua impreſſerit veſtigia, qvæ tollere ſi ſtudueris, nihilo plus egeris, qvam ſi hominem de novo feceris. Stamen partium vix ſuſtinebit tales medicamentorum inſultus qvi omnibus obſtructionibus reſerandis ſufficiant, in remotis qvibusqve receſſibus, inter anfractus, in anguſtiis illæ ſunt, hanc ſi excuſſeris, aliam, ſi non excuſſeris, arctiorem facies. Salium vim toto die in chymia enervamus, infringimus illa & immutamus in corpore nec de eo dubitatur, fit tamen ſæpe ſæpius id fruſtra: memorabile ejus exemplum â Dn. Præſide habeo: qvi in ægra ſcorbutica, cujus ructus acidum ſpirabant, vomitus aceti inſtar fortiſſimi dentes ſtupefaciebant, ſaliva acida guſtui, alvi excrementa acidum olebant, Theæ & caffee potum, decocta lignorum, plantarum antiſcorbuticarum infuſa, diætam lacteam, chalybeata, abſorbentia & præcipitantia, ſalia lixiva, urinoſa, cinnabarina, Antimoniata, Mercurialia in incredibili qvantitate & copia, non ad urnas, ſed amphoras, non uncias, ſed libras, non ſeptimanas vel menſes ſed annos ſervato ſtrictiſſimo diætæ regimine, fruſtra adhibuit, ſi tota mulier aqva fortis fuiſſet vel oleum Vitrioli edulcorata fuiſſet, adeò qvo ſemel eſt imbuta recens ſervat odorem teſta diu.

§. X.

Obſtructionibus omnia cum prona ſint ſubſiſtunt in iis ſalia ſangvini naturalia vel corpori peregrina, qvæ, ſine his ſi fuiſſet corpus, libere tranſiiſſent ſine noxa, & ſuâ morâ viſceribus moleſta ſunt. In inteſtinis fit *Diarrhœa*, *Dyſenteria*, *cholera*, illorumq; moleſtiſſimus *teneſmus*, in pulmonibus ferina tuſſis, circa oſſa *clavus*, *doloresq; oſteocopi*, *odontalgiæ*, *ſcindentes atq; pungentes capitis dolores* nec non dolorifici *catharri*. Qvorum affectuum qvandoqve adeo obſtinate

 ſtinate

ſtinata radix eſt ut jugulent ſubito vel ex intervallo redeant, modo enim obſtruens limus per vim cuneatus eſt ut potius findantur pori, qvam iſte exturbetur: modo ſalia pro acredinis gradu citius exedunt partes, qvam iis medicamentũ ſuccurrere poſſit, vel atrocitati morbi ſuccumbit æger qvam ut â medicina ſublevari poſſit, nec enim omnibus idem robur & à minima circumſtantia tanqvam â filo ſalus vel mors dependet. Incerta hæc ſi tu poſtules ratione certa facere, nihilo plus agas, qvam ſi des operam, ut cum ratione inſanias, ut cum P. Terentio Eunuch. *act. 1. Sc. 1.* loqvar. Diarrhœa ſæpe pro valetudine eſt, *Verum ſpatium periculoſum eſt, interdum enim tormina ac febriculas excitat vireſq́ consumit Celſus lib. 4. cap. 19. atq; à Diarrhœa Dyſenteria* Hipp. *Sect. 7. aph. 75.* atqve hæc licet *ab inſania bona ſit Sect. 7. aph. 5. ut & ſi lienoſis ſuperveniat Sect. 6. aph. 48. Qvi tamen lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis ſupvenientem longam dyſenteriam aqva intercutem aut inteſtinorum lævitas excipit, & moriuntur Sect. 6. aph. 43. In cholera ſimul & dejectio & Vomitus eſt: præterq; hæc inflatione inteſtina torqventur: bilis ſupra infraq; erumpit: ſæpe & crura manuſq; contrahuntur, urget ſitis, anima deficit. Qvibus concurrentibus, non mirum eſt, ſi ſubito qvis moriatur, inqvit Celſus lib. 4. cap. 11. Qvibus tormina adſunt & circa umbilicum cruciatus & lumborum dolor, qvi neqve medicamento neqve per alia præſidia ſolvitur, in ſiccum hydropem firmatur Sect. 4. aph. 11. Qvibus à ſtranguria ileos ſupervenit intra ſeptem dies moriuntur* Hipp. *Sect. 6. aph. 44. & tum hic, tum illa per ætatem ſæpe repetunt & cruciant Celſus lib. 4. cap. 13. & 14.* Teneſmus licet nec acutis nec longis morbis annumerari debeat Celſ. *lib. 4. cap. 16.* in diarrhæa tamen & dyſenteria eandem cum in iis habet prognoſin, & *prægnanti mulieri ſuperveniens facit abortum Sect. 7. aph. 27.* Tuſſis ejusmodi pulmonem lædit, ad

Phthi-

Phthisin ægrum ducit, & propter salium acrimoniam motusq; violentiam vasa rumpit. De doloribus reliqvis id modo notari velim si in ipso hæreant periostio pertinacissimos ni curatu impossibiles esse. Dolorem ejusmodi in tibia, qvem ternario texisses, qvi ultra decennium omnia externa pariter & interna sine numero adhibita sprevit, soloqve opio crudo ad drachmæ semissem circa noctem, tunc enim ingravescere solebat, assumpto aliqvam reqviem concedentem in mediæ ætatis viro: Cephalalgiam item, qvo circumforaneus, qvi ut orvietanum suum commendaret in theatro Mercurium sublimatum assumere consveverat, spasmis in capite horrendis temeritatis suæ pœnam luebat, observavit Dn. Præses. Et deniqve memorati affectus pariter atq; catarrhi, si medicamentis cedant, redeunt facile, qvia pori distorti vel semi obstructi pristinam figuram fere nunqvam recipiunt.

§ XI.

Multifarius salium in poris subsistentium modus est, qvi partim à figura & magnitudine tum pororum tum salium dependet. Facile enim fit ut in illâ pororum saliumve discrepantia hæc in illis intercepta hæreant qvidem non tamen eos totaliter oppessulent, sed exigua relinqvant interstitia qvæ solus pernicissimo motu repleat subtilissimus æther, qvi humores exagitet, fibrillas concutiat & per vicina vasa decurrentem sangvinem turbet, qvo fit ut pars caleat, tumeat, rubeat & homo febricitet. Qvæ inflammationes eo maj⁹ periculum portendunt, qvo profundiores sunt & principes partes occupant. Qvo enim majora hæc sunt eo æthereus ignis humores exagitat, fibras tendit, sangvinisqve mixturam turbat vehementius, donec sine spe restitutionis turbato cruore fatis cedat homo, vel fibræ nimium tensæ mediæ crepent & pars suppuretur,

vel

vel tubulorum valvulis revulsis subseqvatur *Gangrana* & *Sphacelus.* Inflammationibus qvæ subjecta non sit nulla in corpore pars est, & aliæ speciale nomen habent, genericum retinent aliæ. In cerebro & meningibus, *Phrenitis*, in pleura, *Pleuritis*, in pulmonibus *Peripnevmonia*, in faucibus, *angina*; in oculis *Ophthalmia*; auribus *Otalgia*; in hepate, hepatitis; renibus *Nephritis*; & qvæ subseqvuntur suppurationes, in Pleuritide *Empyema*, in aliis alia vel generale nomina habent. In extremo corporis habitu cum parti affectæ remedia imponi possunt sæpissime oppugnantur qvidem non tamen semper expugnantur, qvantæ igitur molis erit internorum viscerum inflammationes solvere, qvæ omnem perspicacissimi judicii vim, exq; hac dependentem methodum medendi eludunt. Hinc difficillimæ illæ prognoses. *Qvicunqve supra qvadraginta annos*, propter majorem pororum constantiam, *fiunt phrenetici non ita valde sani fiunt* Hipp. *S. 8. aph. 1. Qvi pleuritide laborant, nisi intra dies qvatuordecim superne repurgentur, iis in empyema fit mali transmutatio. Sect. 5. aph. 8. Et qvi ex pleuritide empyi fiunt transeunt in tabem nisi à ruptione intra dies qvadraginta sursum purgentur Sect. 5. aph. 15. Angina gravissima est & celerrime interimit, qva neqve in faucibus, neq; in cervice qvicqvam conspicuum facit, plurimum verò dolorem exhibet & difficultatem spirandi, qva recta cervice obitur, inducit. Hæc enim eodem etiam die & secundo, & tertio strangulat* Hipp. *Prænot. lib. Peripnevmonia vehemens & acutus morbus est, & plus periculi qvam doloris habet.* Celsus *lib. 4. c. 7.* Ophthalmia si diu perseveret fere incurabilis est & sæpe portendit cæcitatem. *Auris dolor acutus cum febre continua & vehementi gravis. Periculum enim delirii & mortis ægro affert.* Hipp. *Prænot. lib.* Plura de aliorum viscerum inflammationibus non addo ex prioribus illa colliguntur facile atqve primo obtutu

apud

apud practicos occurrunt. Nec perstringam inde ortas suppurationes nimiæ prolixitatis metu, funestæ enim sunt & lento marasmo ægrum interficiunt. De Gangræna & sphacelo modo addo. *Incurabilem & mortiferum esse sphacelum, gangrænam curabilem qvidem esse, sed adeo difficulter, ut nisi qvis præsentissimo remedio occurrat, pars continuato qvodam motu sensim emoriatur atq; brevi temporis spatio hominem jugulet.* J. Vigier. *Chir. lib. 1. cap. 2.* Nisi membrum præscindatur. *Sed id qvoqve cum periculo summo fit. Nam sæpe in in ipso opere vel profusione sangvinis vel animæ defectione moriuntur. Verum hic nihil interest an satis tutum præsidium sit, qvod unicum est* Celsus *lib. 8. cap 35.*

§. XII.

Qvando non in poris sed in musculorum tubulis stagnat obstructio acris qvæ nervos vellicet advolat festinus spiritus, repletis tubulis contrahit musculum partemqve convellit, & pergente vellicatione vi tubulorum valvulis illata illas revellit, unde refluere nescius subsistit ibidem atqve ab inseqventium mole auctus fibras ad metum ruptionis tendit & dolorificum facit *spasmum.* Qvi â musculis qvos convellit *tetanos, emprosthotonos, opisthotonos, priapismus, Strabismus, Incubus, asthma convulsivum, passio hysterica* nomen mutat. Qvi qvam periculosus sit ex *6. aph. Sect. 5.* Hipp. *patet. Qvi tetano corripiuntur, intra qvatuordies intereunt: Si verò hos superaverint incolumes evadunt, Sect. 4. aph. 49. In febre non intermittente si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus pervertatur in propinqvo mors est.* Priapismum eundem exitum cum aliis convulsionum modis, nempe virium exolutionem, tetanum & mortem habere ait H. Cardilucius *in Not. ad prax. chymiat.* Hartm. *cap. 146.* Asthmata omnia licet sint periculosa convulsiva tamen pessima, at cum inveterata sunt difficillime aut vix unqvam curantur. T. Willis Pharm. *rat. Sect. 1. cap. 12.* Passionem hystericam rarissime lethalem esse, diuturnam ta-

men difficilem & facillime recurrentem qvotidianæ obſervationis res eſt. Eſt ſanê factu difficillimum hærentem in partibus ejicere acrimoniam valvulis verò revulſis priorem reddere ſitum extra medici poteſtatem eſt, ab aſſumptis enim medicamentis æqve facile revulſæ tenentur, ſiqve fortuito contingat reſtitui propter plicam qvam nacti ſunt â levi cauſa denuo invertuntur malumqve recrudeſcit.

§. XIII.

In fibrarum canalibus amurca obſitis ſub inde humores ſubſiſtunt moramqve trahunt qvi inteſtino ſuarum particularum motu â corporis calore & ſubtiliſſimi ætheris tranſitu actuali ſucceſſive mutantur, poriqve figuræ mutationem paſſi alterius figuræ ætherem vehunt, & ſi contingat ut ê fomite hoc egrediantur, circulantibus humoribus affuſi ſangviniq; redditi illum propter ætherem peregrinum turbant & *febrem* accendunt,qvæ tamdiu perſeverat donec fermentum hoc admiſcetur, eo verò exhauſto tubulis concidentibus â fermentationibus ſangvinis legitimis ejicitur & ceſſat febris, tamdiu donec alii, qvi ad fomitem appulere,humores,mutationem paſſi maturuerint iterum & ſangvinem de novo variis pro natura ſua temporum intervallis turbent & *febres intermittentes* faciant. Humor licet â ſe ipſo alius fiat, nunqvam tamen adeo degenerare poſſe videtur ut nihil prioris naturæ retineat,aliqvid de antiqvo obtinet,ita ut ſangvinem qvidem turbet non tamen ad internecionem deleat. Unde qvoqvo modo febres intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant. Sæpe tamen ſunt diuturnæ & *qvos diuturnæ febres exercent, iis vel tubercula, vel dolores in articulis fiunt Sect. 4. aph. 44. Et ſi rigor freqvens & iteratus febre non deſinente ægrum jam debilem invadat lethale eſt Aph. 46. Qvanqvam hæ febres omni periculo vacant: tamen aliunde periculoſæ ac funeſtæ reddi poſſunt, nam virium infirmitas, deſtillatio, Syncope, multitudo*

tudo & crassities materiæ repente affluentis aut alius affectus in principio & incremento accessionis hominem de medio tollere possunt, præsertim cui viscus aliqvod læsum est. Sic enim testatur Hollerius se vidisse senes duos in tertiana intermittente mori, qvi agebant annum prope octuagesimum: vidisse & juvenem qvendam longiori inedia, natura biliosa, in vehementiori accessione Syncope periisse. Idem in Viro qvoq; contigisse, in qvartana destillationem initio accessionis invalescentem suffocasse mulierem. J. Liebautius *in Schol. ad Hollerii comm. in aph.* Hipp. *43. Sect. 4.* Qvartanæ tamen autumnales longæ sunt, & maximè qvæ ad hyemem pertingunt, dependent illa â recessu humorum â statu naturali, fomitũ multitudine vel nimia distantia.

§. XIV.

Recedit qvandoqve longius fomes ut sangvinem, qvam in febre concutiat vehementius, ut qvasi concussus esset abeat in spumam variisq; suis subsultibus turbulentos secernat spiritus & humores una cum iis in musculos distributi *Epilepsia* corpus convellant. Rationi etiam consonum est cum fœtus in utero matris hæret vitium ab ea trahere dum â phasibus lunæ licet non in totum ex parte tamen mutatur cum humoribus sangvis fœtusq; inde etiam nutrimentum vitium accipere ejusq; reliqvias hinc inde in tubulis fibrarũ abscondi, qvod ex longo qvãdoq; satis intervallo contagii alteriusve causæ occasione egressum sangvinem turbet & variolis morbillisve defœdet corpus. Vix enim aliunde universalitatem illorum deduxeris, cum illorũ Tyrañidem si qvis effugerit oppido raris añumeratur, nec certe in medicorum potestate est illos præcavere vel cũ eruperint semper curare, ea enim est qvandoq; illorũ malignitas ut colore violaceo, livido, nigro non nisi funesta præsagiant. Et qvam curatu difficilis si non impossibilis epilepsia sit qvis est qvi nesciat? Herculi huic qvis clavam extorqvebit? *qvibus post vicesimum qvintum annum contingit eos fere comitatur ad mortem usq; Sect. 5. aph. 7. & Epileptici omnes fiunt melancholici lib. 6. de Morb. vulgar. Celsus* etiam postqvam varia recensuisset remedia ait: *bis si finitum malũ non fuerit, prope est, ut perpetuum sit. lib. 3. cap. 23.*

§. XV.

Pernicies corporis sæpe est qvem fovet hospes, qvi si è longinqvo sub alio natus cœlo veniat, sub alio sole incaluerit totus pernici-

osus est, & primo aggressu omnimode sangvinis compagem fundendo vel coagulando destruit, brevi interimit homines eorumq; pestis est. Aut si naturæ non adeo abludentis sit dubio cum eo confligit eventu modo victus, victor modo recedit, & invisum malignarum febrium nomen habet. Hinc est qvod *morborum acutorum non omnino certæ sint prædictiones, nec mortis nec salutis* Hipp. *Sect. 7. aph. 19. Qvod morbi peracuti statim extremos habeant labores Sect. 1. aph. 7.* Pestis ipsa truculenta est, cujus optimum antidotum hæ pilulæ sunt:

Citò, longè, tardè, cede, recede, redi

ad alia medicamenta cum ventum est illa in hoc morbo cum qvadam temeritate rapienda esse vult *C. Celsus lib. 3. cap. 7.*

§. XVI.

τὸ ἱερὸν & θεῖον in morbis illorumq; ἀθεραπευσίαν ulterius proseqverer & proseqvi facile esset cum omne prognoseos genus fere complectatur, esset etiam apprime utile & necessarium. *Operæ pretium mihi facturus Medicus videtur, si ad providentiam sibi comparandam omne studium adhibeat. Cum namq; præsenserit & prædixerit apud ægrotos, tum præsentia, tum præterita, tum futura, qvæq; ægri omittunt exposuerit, res utiq; ægrotantium magis agnoscere credetur, adeo ut majore cum fiducia sese homines medico committere audeant. Curandi verò rationem optime molietur, si ex præsentibus affectionibus futura prænoverit. Neq; enim fieri potest ut omnes ægroti sanitatem asseqvantur. Hoc nempe longè præstantius foret, qvam futurorum consecutionem prænoscere. Qvandoqvidem verò qvidam vi morbi intereunt priusqvam Medicum accersant, qvidam etiam vocato medico confestim, partim qvidem unum diem, partim etiam paullo diutius vitam trahentes mortui sunt, priusqvam medicus arte sua singulis morbis viriliter se opponere possit. Proinde ubi talium affectionum naturam, qvantum scilicet vires corporis superant, cognoverit, simulq; & si qvid* Divini *in morbis in est, huj9 qvoq; providentiã ediscere oportet. Hac enim ratione meritò sibi admirationẽ & boni medici existimationẽ conciliaverit. Qvi namq; morbo superiores esse possunt eos utiq; longè rectius conservaverit, ex longo antea intervallo ad singula consilium dirigens, tum etiam morituros tum evasuros ubi prænoverit & prædixerit, extra culpam positus erit,* suum prænotionum librum incipit Hippocrates. Verum prolixior res est qvam ut Dissertationis hujus limitibus includi possit, adeoq; conatuum meorum hic esto

FINIS